UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

117. Parabola de Vinitoribus homicidis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-47925

Visual Library

CAP. 117. *Parabola de vinitoribus homicidis.*

*Matth. 21 * 116, Mar. 12. * 116, Luc. 20. * 116.*

S. Matthaus

ALiá parabolá audite: Homo erat paterfamiliâs, q plátauit vineá, & ſepem circúdedit ei, & fodit in ea torcular, & ędificauit turrim, & locauit eá agricolis: & peregrè profectus eſt. Cùm aũt tẽpus fructuũ appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperẽt fructus eius. Et agricolę apprehenſis ſeruis eius, aliũ ceciderũt, aliũ occiderũt, aliũ verò lapidauerunt. Iterũ miſit alios ſeruos plures priorib⁹: & fecerũt illis ſimiliter. Nouiſsimè aũt miſit ad eos filium ſuũ, dicẽs, Verebũtur filiũ meũ. Agricolę autẽ vidẽtes filium, dixerunt intra ſe, Hic eſt hęres, venite, occidamus eũ, & habebimus hęreditatem eius. Et aprehẽſum eũ eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Cùm ergo

S. Marcus.

ET cœpit illis in parabolis loqui, Vineam paſtinauit homo, & circundedit ſepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis: & peregrè profectus eſt. Et miſit ad agricolas in tempore ſeruum, vt ab agricolis acciperet de fructu vineę. Qui apprehenſum eum ceciderunt: & dimiſerunt vacuum. Et iterum miſit ad illos alium ſeruum: & illum in capite vulnerauerunt, & contumelijs affecerunt. Et rurſum aliú miſit, & illum occiderunt: & plures alios: quoſdam cædentes, alios verò occidentes. Adhuc ergo vnum habens filium chariſsimum: & illum miſit ad eos nouiſsimum, dicẽs, Quia reuerebuntur filium meum. Coloni autem dixerunt ad

S. Lucas.

COEpit aũt dicere ad plebẽ parabolam hanc, Homo plantauit vineam, & locauit eam colonis: & ipſe peregrè fuit multis temporibus. Et in tempore miſit ad cultores ſeruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæſum dimiſerunt eũ inanem. Et addidit alterũ ſeruum mittere. Illi autem hunc quoq; cædentes & afficiẽtes contumelia, dimiſerunt inanem. Et addidit tertium mittere: qui & illũ vulnerantes eiecerunt. Dixit autem Dominus vineæ, Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forſitan cùm hunc viderint, verebuntur. Quem cùm vidiſſent coloni, cogitauerunt intra ſe, dicentes, Hic eſt hæres, occidamus illum, vt noſtra fiat hæreditas. Et eie-

S. Iohannes.

S. Matthæus.

ergo venerit dominus vineæ, q̃d faciet agricolis illis? Aiunt illi, Malos malè perdet: & vineam ſuá locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis. Dicit illis Ieſus, Nunquam legiſtis in ſcripturis, Lapidem quem reprobauerunt ædificátes, hic eſt factus in caput anguli? A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris? Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti faciẽti fructus eius. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuperqué verò ceciderit, conteret eum. Et cùm audiſſent principes ſacerdotum & Phariſæi parabolas eius: cognouerunt quòd de ipſis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam ſicut prophetam eum habebant. *118.

S. *Marcus.*

ad inuicem, Hic eſt hæres: venite, occidamus eum: & noſtra erit hæreditas. Et apprehendentes eum, occiderunt: & eiecerunt extra vineam. Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos: & dabit vineam alijs. Nec ſcripturam hác legiſtis, Lapidem quem reprobauerũt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? Et quærebant eum tenere: & timuerunt turbam. cognouerunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt. *119.

S. Lucas.

eiectum illum extra vineam, occiderũt. Quid ergo faciet illis Dominus vineę? Veniet, & perdet colonos iſtos, & dabit vineam alijs. Quo audito, dixerunt illi, Abſit. Ille autem aſpiciens eos ait, Quid eſt ergo hoc quod ſcriptum eſt: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? Omnis qui ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet illum? Et quærebant principes ſacerdotum & Scribæ mittere in illũ manus illa hora: & timuerũt populum. Cognouerunt, enim quòd ad ipſos dixerit ſimilitudinem hác. *119.

S. Iohannes.